

Huc accedebat immenso opere atque impensa recens navi-  
gium, ad veteris jam vetustate collapsi formam extructum  
(*Bucentaurum* vocant) quibus sane anniversaria mare de-  
sponsandi pompa illustrior reddebat. Conscendit una cum  
Senatoribus Princeps, Regum Principumque oratoribus, at-  
que ipsomet Horatio Matthæo, Pauli Nuntio, latera sti-  
pantibus. *Bucentaurum* triremes aliquot, biremes, celo-  
ces, atque infinitus propemodum cymbarum numerus, læ-  
tis acclamationibus prosequebatur. In ea vero celebritate  
mirum omnibus videbatur, in amplissimum Senatum, in  
civitatem innumeris prope mortalibus refertam, religione in-  
signem, in tot oppida atque urbes, nulla graviori causa  
adductum, adeo fævire Pontificem decreuisse. Cuncti in  
Matthæum oculos conjicere, atque moderationem Senatus  
extollere, quod, quo tempore anathemate a Pontifice fe-  
riebatur, eodem perhumaniter ejus Nuntius exciperetur,  
Principique adsideret. At Matthæus, qui neque civilium  
rerum usu, neque humanarum cognitione præstabat, vere-  
cundia veluti perfusus hærere, paucaque fari: *Adbuc*  
*concordiae, si hinc atque inde, proclinatis ad pacem ani-*  
*mis, nonnihil remitteretur, locum esse.* Matthæi verba in  
Senatu recitata, absque responso dimittenda Patres non es-  
se, censuere. Itaque ei publico decreto significatur: *Ingen-*  
*tem ac neutique dissimulandam ex Pontificis insueta agen-*  
*di ratione molestiam Rempublicam percepisse, indigne cum*  
*ea actum esse: ceterum si anathema Pontifex sustulerit,*  
*quin de his rebus agatur, minime Senatum recusaturum.*  
Multas Donatus Princeps subiectit: Neque minis, ne-  
que anathemate cum Principibus agendum: periculorum  
impendentium culpa Rempublicam immunem fore: jam in  
vetera illius instituta, leges, fundamenta impetum fa-  
ctum; de iisque profligandis, convellendis ac prorsus tol-  
lendis actum. At in hoc (inquit Matthæus) error ver-  
satur, quod temporariam jurisdictionem eripere Reipu-  
blicæ Paulis nolit; tantum, ut leges adversus ecclesiasticam  
libertatem conditæ abrogentur, petit. Ad ea Do-  
natus: *Jam se ætatem fere in maximarum rerum nego-*  
*tiiis pertractandis exegisse: multa Romæ difficilimis tempo-*